

h. 114, 6.

(X2020886)

Yb
864

UT ORTATIUNCULAS
EXPLICATIONI HIEROGLYPHICAE
LEONIS,

IN RUTHENICIS INSIGNIBUS PICTI,
DICATAS, ET CORAM
PERILLUSTRIBUS AC GENEROSISSIMIS
DOMINIS,

DN. HEINRICO TERTIO,
DN. HEINRICO QVINTO, ET
DN. HEINRICO OCTAVO,
JUNIORIS LINEAE RUTHENIS, DOMINIS
A PLAVIA, DOMINIS IN GRAIZA, CRANICHELDA,
GERA, SLAIZA, LOBENSTEINO &c.
CRASTINA LUCE

POST OCTAVAM ANTEMERIDIANAM
PUBLICE ET MEMORITER
A DUOBUS NOBILISSIMIS ADOLESCENTIBUS
E CATHEDRA RECITANDAS,
PLURIMUM-VENERABILES
ET AMPLISSIMI

DNN. INSPECTORES,
AC DOCTI OMNES, QUI HIC VIVUNT,
BENIVOLI, FREQUENTES AC FAVENTES
AUDIANT,

M. JOHANNES SEBASTIANUS *Mit-*
ternacht / ILLUSTRIS RUTHENEI
RECTOR,

SUBMISSE, OFFICIOSE ET AMICISSIME
PUBLICO HOC PROGRAMMATE ROGITAT.

GERAE, PRAELO HAERED. MAMITZII,

BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)



CL. Budaeus, incomparabilis ille Graecae litteraturae mystes, ut ipsum Nob. Barthius adpellit, (a) quum observasset, Jovem vocari *Ξένιον* vel *Ξείνιον*, apud Homerum cum primis, (b) *λῶσον ἀοιδῶν*, (c) ditqvirere coepit, quae ratio sit, propter quam hoc nomine *Τετρακέρων* ille veniat: & putat tandem Vir summus, ideò sic dictum fuisse, quod eundem *HOSPITES*, quos Graeci *ξένος* vocant vel *ξείνος*, ultorem imploraverint, si fortè iura hospitalia violata, ipsiq; secus, quam par esset, tractati fuissent. Ideò Maeonides dicit, Aegypti Regem, qui supplicem hospitio exceperat, ac defenderat contra injurias, veritum fuisse *μῆνιν διὸς ξείνισ*, additq; rationem, his verbis: *ὄς* (Juppiter) *μάλιστα νεμεοσᾶται κακὰ ἔργα*. Intelligit autem per *κακὰ ἔργα* speciatim injurias hospitibus receptis illatas. Et hanc Budaei sententiam non pauci antiquitatis interpretes probant. Sic scilicet vindicem fore Jovem sperabant Ethnici, sapientiae divinae jubare non illustrati, violati juris hospitalis. Quibus ita sentiendi occasionem, ut auguror, dedit fabula de Lycaone, quem, quod advenas trucidavit ac hospites, Juppiter, qui sub *hospitis* specie in ejus aedeis diverterat, in *lupum* commutasse dicitur: uti Naso alicubi (d) refert. Quamquam verò non infitiamur, Jovem priscis illis temporibus creditum fuisse violati Juris hospitalis vindicem: persuaderi tamen haut ita facilè poterimus, hac solà de causà ipsum id nominis impetrasse. Latior est enim *Xenii* sive *Hospitalis* significatio, quam ut coërceri queat includive angustis adeò terminis. Dido profectò, Regina infelicissima, apud Maronem, Platonem illum Poëtarum [sic Virgilium Alexander Severus, Imp. adpellasse fertur (e)] amplius videtur progressa fuisse, quum Aeneam hospitio exceptum habitura lautissimè pateram gemmis auroq; gravem poposcisset, & conversa ad Jovem ita compellasset illum:

Juppiter (HOSPITIBUS nam TE DARE JURA loquuntur)

Hunc laetum Tyriusq; diem Trojâq; profectis

Esse velis,

(f) Significat enim, per Jovem stare, i. Aen. v. ut 735.

(a) Advers. lib. XXI.

(b) Odysf. ξ. vers 286.

(c) Sic illum Theocritus vocat Idyll. XVI. v. 21.

(d) i. Metam. fab. IIX.

(e) Vid. Lamprid. in ejus vit.

(g)
exercit. I.
ad Appar.
Bar. num.
25.

(b)
Ad vocem
Ξένιος.

(i)
Vid. i. Cor.
II. 4.

(k)
De urbib.
German.
p. m. 271.

(l)
In Sophist.

ut utrisq; hospitibus, tum qui recipiunt, tum qui recipiantur hospitio, sine turbis ac tumultu laetos agere dies liceat, neq; alteri alteros adficiant injuriâ: illumq; utrisq; certa dedisse jura, quibus utrosq; parere, necesse fiet. Suidas, Byzantinus ille Monachus, quem ante annos quingentos à suâ aetate retrò numeratos claruisse doctissimus Casaubonus existimat, (g) ita ait: Ξένιος ὁ τῆς Ξενίας ἑφορος. λέγεται καὶ Ξένιος ὁ Ζεύς. h. e. Xenius vocatur Ephorus vel Inspector eorum, qui eodem in hospitio convenerunt. Dicitur enim Xenius Juppiter. Haec Suidas. (b) Quorsum verò edisseruntur ista, non nemo inquam. Respondemus autem, id neq; frustrâ fieri aut temerè, neq; sine causis praegnantibus. Quamvis enim nihil nobis commercii sit cum fabuloso illo Ethnicorum Jove, quippe quem jam pridem in non-entium [ut cum Philosophis loqui jam liceat] vel idolorum censum orthodoxae fidei profesores abjecerunt: alios tamen Joves XENIOS sive HOSPITALES crastinâ luce, quod DEUS felicissimum esse jubeat, in ipso Rutheni nostri auditorio videbimus. Sunt autem illi PERILLUSTRES AC GENEROSISSIMI DOMINI, DN. HEINRICUS III. DN. HEINRICUS V. ET DN. HEINRICUS IIX. JUNIORIS LINEAE RUTHENI, FRATRES GERMANI, DOMINI A PLAVIA, DOMINI IN GRAIZA, CRANICHELDA, GERA, SLAIZA, LOBENSTEINIO &c. DOMINI NOSTRI GRATIOSISSIMI. Posteaquam enim avitam arcem, quam Ostersteinium Dresserus (k) vocat, felicissimis ingressi auspiciis essent, atq; inde per subjectas valleis ac prata ridentia GERAM hanc nostram, Gymnasiq; cum primis, & Collegii structuram novam vidissent, illicò hujus videndi studio desiderioq; exarserunt, instituto ut gratiosissimo, sic laudatissimo severa. Plato enim, quem Philosophorum Deum ac Numen nonnulli adpellarunt, ait, (l) ἄλλας θεοὺς τοῖς ἀνθρώποις, ὁποῦσι μελέχουσιν αἰδῆς δικαιοσύνης, καὶ δὴ καὶ τὸν Ξένιον ἔχῃ ἥκιστα θεὸν συνοπαδὸν γιγνώσκον ὑβρίσι τε καὶ ἀνομίαις τῶν ἀνθρώπων καὶ πορναῖς, h. e. cum Deos alios, tam maxime HOSPITALEM DEUM, sive JOVEM XENIUM, INTER HOMINES, qui justis pudoris participes sunt, VERSARI, & hominum contumelias acq; ac legitimas conversationes accuratè intueri. Quibus verbis auctor gravissimus haut dubiè respexit ad Moeconidae locum,



locum, qui ita habet: (m)

Καὶ τε θεοὶ ξείνοισιν εἰκότες ἀλλοδαπίσι
παντοῖοι τελεθούεσσι Πρωφῶσι πόλησσι,
ἀνθρώπων ὑβρίεσσι καὶ εὐνοίῃσιν ἐφορῶντεσσι,

quos Smyrnaei vatis versiculos hunc in modum Justus Lipsius reddi-
dit: (n)

Atq; Dii hospitibus peregrinis se adsimilantes
In specie diversâ urbeis atq; oppida oberrant,
Et malefacta hominum simul & benefacta notantes.

(m)

Odyss. 9.
vers. 487.
seqq.

(n)

1. Physio-
log. dis.
19.

Deorum itaq; & Jovis Xenii imitatores merito censemus Dynastas
istos RUTHENOS, qui non SAALBURGAM dumtaxat ac SLAI-
ZAM, sed nostram quoq; GERAM instar hospitum gratiosissimâ suâ
praesentiâ dignari voluerunt. Neq; dubium est, EOS ad Jovis Xenii
morem & consuetudinem ὑβρίεσσι τε καὶ εὐνοίῃσιν ἀνθρώπων adcura-
tissimè tum inspicere, tum notare animo. Nostrarum proinde par-
tium erit, gratiam isthanc omninò singularem singulari cum gratiâ, si-
ve animo gratissimo agnoscere, Jovesq; istos XENIOS vel HO-
SPITALEIS modis omnibus, quibus per viriculas nostras licet, ve-
nerari, ac revereri, quin sanctam habere ILLORUM praesentiam,
quam, quum à PAULO GERBRANDO, Hamb. Saxone,
humilimè invitarentur, gratiosissimè polliciti fuerunt. Atq; uti-
nam votis responderent fata, viresq; nostrae. Sic enim eo IPSOS
modo exciperemus, qui placere ILLUSTRIBUS animis postet, & ju-
stus esset atq; aequus. At verò quâ fieri queat, ut dignè excipian-
tur à nobis tanti Dynastae? Quâ Scholae umbra aulae splendorem
aequet? Ne interim sub ἀδυναμίᾳ latibulo aut praetextu videamur
subtrahere velle omne humilimae reverentiae signum, agnoscimus ac
fatemur, quid debeamus. Quidni enim debeamus? Nam quotus
quisq; hîc est, quem lateat, ILLUSTRISSIMUM ET GENERO-
SISSIMUM DOMINUM, DN. HEINRICUM DECI-
MUM, JUNIORIS LINEAE RUTHENUM, DOMI-
NUM A PLAVIA & C. DOMINUM NOSTRUM GRATIO-
SISSIMUM ET PERCLEMENTEM, DYNASTARUM
SUPRA HUMILIME LAUDATORUM DN. PAREN-
TEM,

TEM, inter munificentissimos ac magnificentissimos Gymnasii nostri Patronos ac NUTRICIOS numerari, gratiâq; numquam hac tenus interruptâ DOCENTES pariter ac DISCENTES complecti? Omnia ad haec humilimae observantiae & honoris monumenta meretur multiplex omninò & admiranda domus RUTHENICAE virtus; requirit summus ille ac propensissimus, quo virtutis officinam, sive RUTHENUM suum, amplectitur ILLA, favor; postulant innumerabilia EJUSDEM in Remp. litterariam beneficia; flagitant ingentes isti sumtus & impensae, quas in conservandum, & propagandum ad seros nepotes ac posteros Gymnasium, pretiosissimum scilicet dynasteiarum κειμήλιον, liberalissima manu erogare nō dubitant. Accedit praeterea & invitat nos fructus uberrimus, quem expectare habemus à gratiosissimâ gratiosissimorum Dynastarum praesentiâ. Verissima enim sunt, quae divinus ille Plato alibi (o) monet, dum inquit: OMNIBUS, arbitror, pueris accidit, ut, cum audiunt, se civitatis alicujus HOSPITES esse, BENEVOLENTIA quaedam erga illam, quasi alteram patriam, confestim à teneris usq; animis eorum illabatur. Quò magis igitur venerabimur JOVES istos patrios, hoc major erga nos benevolentia & gratia ILLORUM animis, generosissimis utique, & ad maxuma quaeq; natis, illabetur. Haec verò quotumquemq; non exsuscitet, animet, & ad exhibendum honorem humilimum inflammet? Stipites arbitror, & caudices in Caucaso natos, non homines, quotquot non exsultant ac tripudiant ad tantorum hospitem conspectum. Tauricorum equidem hoc institutum fuit, ut, qui intra sineis eorum HOSPIES venisset, templo Dianae immolaretur, ut Hyginus harrat. (p) Apage verò belluinum hunc morem, nomine humano prorsus indignum. Castissimae Musae nostrae, quarum sive templum, sive Heliconem gratiosissimâ suâ praesentiâ dignabuntur eminentissimi isti HOSPITES, sanguinem non sitiunt, sed omne ingenii nervos intendentes sollicitè admodum inquirunt, quibus ILLOS honoribus macent. Certè si in viribus earum positum foret, omnia illa tum facere tum dicere, quae familiae RUTHENICAE, ac PERILLUSTRIUM horum germinum splendorem aequare quadam tenus tantum possent: non permissurae illae essent, ut vel arcus triumphales, vel emblemata artificiosissima, vel ingeniosissimae inscriptiones, vel denique quidquid Magna-

(o)
i. de Legg.

(p)
fab. CXX.

tibus umquam, & litterarum Patronis exhibitum fuit, hac vice desideraretur. Quia verò Attali haeredes non sumus, nec Pactolus nobis fuit, neq; Arabum gazas, aut Persarum adparatus, Pelopisvel aut Zopyri talenta habemus, quibus, quae gratissimus fingit & concipit animus, delineare aut exprimere queamus: ea propter nobiscum habitabimus, intra nostram nos pellem continebimus, & mesle tenuis propriâ victuri pro nostris opibus moenia efficiemus. Gratum, nihilominus, ut humilima est spes, HOSPITIBUS erit, quidquid fingere pietas nostra, quâ colimus familiam RUTHENICAM, poterit. Perspectissimum enim JOVES nostri HOSPITALES habent, quod Poëta canit:

in muneribus res praestantissima mens est,
vel, quod Graecus ait:

Ξερίων δὲ ὁ θυμὸς ἀειρεός.

Quamobrem si Xerxes, potentissimus ille Monarcha, aquam manibus haustam libenter ac hilari cum vultu accepit à colono paupere: si Dii quoque, ut cum antiquis loquamur, eos etiam respiciunt, quâ mola tantum salsa litant, quum tura non habeant: terrestres isti Dii, quo nomine IPSOS ipsius Dei Spiritus dignatur & ornat, (q) equi donati denteis non inspicient, [velut praeter Germanos D. Hieronymus loqui amat, (r)] nihilq; à bonis oblatum recusabunt; sed laetissimi suscipient, quaecumq; tandem offerentur humilimi honoris ac subjectionis monimenta. Offeremus autem ILLIS LEONEM HIEROGLYPHICUM, hoc est, duos adolescentis Nobilissimos, Musarum nostrarum alumnos, nimirum,

GEORGIUM DIETERICUM à Wolfframsdorff.

Equitem Misnicum, &

JULIUM HEINRICUM Erbschler Eq. Variscum,

in cathedrâ sistemus, LEONEM, qui bis pingitur in RUTHENICIS insignibus, velut elegantissimum virtutum ac laudum, quibus RUTHENI jam dudum per omneis mundi cardines inclaruerunt, simulacrum, in oratiunculis memoriter recitandis consideraturos. Nihil enim in LEONE Physici notarunt haecenus, dignum quidem laude, cujus non vivam imaginem deprehendere in familiâ RUTHENORUM liceat, Agite ergò, VENERABILES PLU-

R I

(q) P/XXCII.
l. 6.
(r) Praefat.
comm. in
epist. ad E.
pbes.

RIMUM ET AMPLISSIMI DNN. INSPECTORES,
PATRONI MEI ET MUSARUM NOSTRARUM MAGNI;
agite quoque, VIRI SUMMI, AC DOCTISSIMI reliqui; agite et-
iam Pereximii DNN. STUDIOSI; agite inquam, BEATISSIMI DN.
FUNDATORIS hujus Rutheni NEPOTES, Mosas nostras
gratiosissime salutaturos, praesentia VESTRA & frequentia humi-
limè veneramini, LEONES illos RUTHENICOS ex UNGVI-
BUS, juxta adagium tritissimum, ESTUMANTES. Quantum enim
illi in studiorum suorum studio à teneris UNGVICULIS profecerint,
id admirandum potius, quàm prolixè enarrandum reor. Quis enim
est in his dynasteis adeò hospes, ut id ignoret? Non itaq; est, quod
quis arbitretur, frustra ILLORUM declamationibus honoratum iri, quas
videlicet per aetatis veneritudinem non intelligant. Absit longissi-
mè vanus hujusmodi curiositatis tumor. Nam SUMMI quidam VI-
RI, qui ILLORUM profectus in aulâ Lobensteinensi explorarunt,
ὁμοψύχως τε καὶ ὁμοφώνως testantur, In sos ultra & supra annos sa-
pere, neq; exsaturari discendo posse, sed pleno jam gradu ad Sapientiae
arcem grasari. Colophonem toti huic Panegyri addet JOHAN-
NES HEINRICUS ALBERTI, Germanus, qui Dynastis gra-
tiosissimis humiliter as carmine Heroico gratias pro singulari hâc IL-
LORUM gratiâ persolvat. P. P. prid. KL. Jun. clo lxx LX.



h. 114, 6.

EX
IN RUT
PERIL
DN. H
DN. H
DN. H
JUNIORI
A PLAVIA
POST
A DUOBUS
PL
DNN
AC DOC
BENI
M. JOHA
terna
SUBMI
GERA

0886)
Yb
864

HICAE
US PICTI,
SISIMIS
IO,
TO, ET
AVO,
IS, DOMINIS
NICHFELDA,
O &c.
DIANAM
R
SCENTIBUS
BILES
ORES,
C VIVUNT,
FAVENTES
ANUS Mit
HENEI
MICISSIME
GITAT.
AMITZII,

